IN FVNERE

AGNELLI TRAMONTANI

SACERDOTIS

AD S. MARIAE DE PORTV SALVO KAL. FEBR. CELEBRATO

INSCRIPTIONES

CAIETANI VINCENTII RVGGIANO

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA A. GARRVCII
1837

DOMINO EMINENTISSIMO

PHILIPPO IVDICE CARACCIOLO

S. R. E. CARDINALI

NEAPOLITANORVM ANTISTITI

CAIETANVS VINCENTIVS RVGGIANO

S. P. D.

Quanquam, Princeps Eminentissime, seculum hoc nostrum ad desidiam vecordiamque damno publico praeceps deflectat et ruat; quum tamen divinâ quadam virtus rutilet luce omnium oculis animisque occursante; fieri haudquaquam potest quin multos habeat admiratores sui et laudatores. Id profecto, cum saepe alias, tum vero proximis hisce mensibus apud nos evenisse intelligere datum. Etenim postquam tristis per Urbem vulgatus rumor est, Agnellum Tramontanum Sacerdotem doctrinâ, innocentiâ, gravitate, munificentiâ in pauperes, laboribusque pro Dei Ecclesia et animarum salute exantlatis insignem, ut civibus diro morbo vexatis, ultra quam aetas viresque sinerent, omni ope succurreret,

eâdem morbi vi e vita cessisse; ecquis illius occasu non indoluit? ecquis illius desiderio non est affectus? ecquis denique summis in caelum laudibus non extulit? Et nemo fere tunc fuit, qui palam non confiteretur, illum verbo exemplisque ceteros ad sanctitatem excitare. Interea quum vir amicissimus, qui ex illius obitu magnum luctum cepit, enixe a me expeteret ut aliquot inscriptiones ad eius cohonestandum funus, quod ad Sanctae Mariae de Portu Salvo celebratum est, exararem; eas Clarissimo Nomini Tuo nuncupandas censui; non quo Te dignas duxerim, sed quod Sacerdotis laudationes ad Antistitem mittere non abs re fore existimavi. Et re quidem vera nulli debebantur, nisi Tibi; quippe ad dif-

fluentes mores Evangelii praedicatione coërcendos cum sanctissimi Decessores Tui, tum maxime eius Tu Ipse operâ et consilio estis saepe usi, quod tanta erat in viro auctoritas, ut magna spes esset, per eum perditos homines posse in Christi caulam facilius compelli. Illas igitur ut, quae Tua in omnes humanitas, meaque in Te observantia est, excipias, impense oro atque obtestor; simulque non quid scripserim, sed quâ voluntate scripserim Tecum Ipse consideres. Vale, Vir Celsissime, Teque ad Neapolitanae Ecclesiae decus serva quam diutissime.

Idib. Febr. CIƆIƆCCCXXXVII

Pro Templi Foribvs

AGNELLO · TRAMONTANO

SACERDOTI . NEAPOLITANO

OMNIVM . VIRTVTVM . LAVDE

SPECTATISSIMO

HAC . IN . ECCLESIA

QVAM . IPSE . ALIQVANDIV . REXIT

SVPREMA . OFFICIA

PERSOLVVNTVR

In Facie Antica Tvmvli

AGNELLVS . TRAMONTANVS

QVVM . ANIMARVM . DEO . LVCRANDARVM
STVDIO . MAGNOPERE . FLAGRARET
TANTA . CONTENTIONE . PER . ANNOS . FERME . LII
EVANGELII . PRAEDICATIONI
TVM . IN . HAC . VRBE . TVM . IN . REGNI . PROVINCIIS
SESE . ADDIXIT
VT . ROBORE . VERE . APOSTOLICO
E . CLERICALIS . MILITIAE . PALAESTRA
OBARMATVS . PRODIISSE . VIDERETVR
INDE.INSIGNIS.CONLEGIATAE.DIVI.IOANNIS.MAIORIS
CANONICATV . AVCTVS
ET . CLERICORVM . MORIBVS . INSPICIENDIS
DESTINATVS
FIDEM . DILIGENTIAM . DEXTERITATEM
OMNIBVS . ABVNDE . PROBAVIT

In Dextero Tvmvli Latere

INTER . EXIMIAS . AGNELLI . VIRTVTES

INGENS . ERGA . PROXIMOS . CARITAS

MIRIFICE . ELVXIT

QVA

TOTO . VITAE . SPATIO . SVI . PAENE . OBLITVS

SACRIS . EXCIPIENDIS . CONFESSIONIBVS

INDEFESSVS . INCVBVIT

ET . A . SVBLEVANDA . EGENORVM . INOPIA

PROLIXIS . PECVNIAE . SVBSIDIIS

NVNQVAM . DESTITIT

AD . HAEC . MAGNVM . ITER . MASSILIAM . VSQVE

QVO . GRAVI . PARENTEM . PERICVLO . ERIPERET

ADGREDI . NON . RECVSAVIT

HAVD . PAVCI . E . CLERO . ILLO . ET . CIVITATE

SACERDOTIS . PIETATEM . ADMIRATI

In Laevo Tvmvli Latere

SACERDOS . INFATIGABILIS
NVNQVAM . ET . SENIO . ET . LABORIBVS . CONFECTVS
A . PROCVRANDA . ANIMARVM . SALVTE . ABSTINVIT
QVIN . AERVMNOSISSIMO . ANNO . ELAPSO
DVM . CIVIBVS . CRVDELI . MORBO . ADFLICTIS
CHRISTIANAM . OPEM . LATVRVS . ACCVRRIT
LETHALI . LVE . ET . IPSE . CORREPTVS
PAVCARVM . HORARVM . SPATIO
INTER . POPVLI . LACRIMAS . KAL. NOVEMB
MORTALEM . VITAM . CVM . IMMORTALITATE
COMMVTAVIT
VIXIT . ANNOS . P. M. LXXX

In Postica Tvmvli Facie

AT . TV . VIRGO . DEIPARA

QVAE . MARIS . NITENS . STELLA

NAVIGANTIVM . PRAESIDES . INCOLVMITATI

ENIXIS . APVD . DEVM . PRECIBVS

AGNELLI . ANIMAE . INNOCENTISSIMAE

SI . TEMPLI . HVIVS . COMMODIS

AD . AVGENDAM . IN . TE . FIDELIVM . RELIGIONEM

DIV . NOCTVQVE . ADLABORAVIT

QVALIBET . MACVLA . SI . QVA . RESTAT . ABSTERSA

AD . AETERNAE . REQVIETIS . PORTVM

ITER . ACCELERA